



## **Panis Evangelici Fragmenta Quadragesimalia Tripartita**

Ex sanctissimo Dei Verbo copiosé & sedulo collecta, Sanctorum Patrum, variorumque Auctorum sententiis & conceptibus mirificè aucta; Et Omnibus Quidem Anni Dominicis; præcipuè tamen singulis Quadragesimæ Dominicis & Feriis per binas ad minus, sæpius denas aut septenas Conciones fideli Populo ...

**Lingendes, Claude de**  
**Coloniae Agrippinae, 1689**

LXI. Prima est de relapsu in peccatum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56356](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56356)

DOMINICA TERTIA  
IN QUADRAGESIMA.  
CONCIO QUINTA

Quæ prima est de relapsu in peccatum.

*Et sunt novissima hominis illius pejora prioribus.*

Luca II.

**O**CCASIONE miraculi à Christo facti in liberatione hominis possessi à Dæmone, & sanati à triplici morbo cæcitate, turditate, & linguæ impedimento; uti mos eius fuit instructionem moralem subiecit, exemplo hominis à Dæmone liberati: qui si negligentior fuerit, id efficit otiosâ remissione, ut Dæmon expulsus in loca arida, & in aquosa, hoc est ab hominibus non habitata, nè illis noceat cum requiem non inveniatur, eò quòd nemini noceat; assumptis aliis dæmonibus septem, hoc est pluribus, nequioribus se, & magis perniciosis, & obstinatis, in eundem è quo exierat regrediatur, & ita status illius Energumeni sit longè pejore loco quam fuerit. Addit autem, *Sic erit generationi huic pessima.* Id S. Chrysof. in omnes extendit, & nos acceptâ

inde occasione, dicemus de re admodum utili, nempe de relapsu in peccatum, communitissimo omnium hominum malo. Quoniam verò occasione hujus doctrinæ, exclamavit quædam mulier. *Beatus venter, qui te portavit, & uberaque suxisti:* verba quæ Ecclesia in B. Virginis laudem assumpsit, æquum est, ut peculiarem Virginis opem in ea explicanda speremus. **AVE MARIA.**

**S**IMILEM discursum aggrediens S. Chrysof. homil. 10. in Epistolam ad Hebr. Ita orditur: Cum timore audiamus Dei eloquia, cum timore inquam, & tremore; si autem & gaudium nostrum, & exultatio nostra, debet esse cum tremore dicente Psal. I. *Servite Domino cum timore, & exultate ei cum tremore;* quando etiâ quæ dicuntur sunt terribilia, ut  
nunc



nunc, quo supplicio non sumus digni, si ea quæ dicuntur, non audiamus cum tremore. Ego verò verò iis verbis mihi initio utendum esse censui, tum quia intelligo multos eum timorem excutere, à quo salutem conceperant; tum quia rem maximi momenti habemus præ manibus, in quâ nullus est, qui miro modo affici non debeat; cuius rei magnitudinem ne ullus orationis fucio, & artificio tribuat, eâ planissimè atque ad rudium intelligentiam apertissimè explicare aggredior. Materia autem est de relapsu in peccatum, seu ut vulgari- ter loquar de peccato recidivæ malo omnium comunissimo & luctuosissimo; quid verò illud sit, sic accipe.

In Deuteron. cap. 24. Permittitur Iudæis repudiatio uxoris ex causa aliquâ legitimâ, ut fœditate, sive in moribus, seu in corpore, ut morbo aliquo odioso; hæc tamen conditione, ut si alteri nupsisset, posteaque sui iuris esset facta, vel secundo repudio, vel morte alterius mariti, non posset prior maritus recipere eam in uxorem: *Quia polluta est, & abominabilis facta est, coram Domino.* Id est, ex Abulensi, quia ab ipso priore viro, coram Deo, & toto populo abominabilis iudicata est: *Ne peccare facias terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam;* Id est ne sis scandalo contribulibus tuis, ac non videaris prius non verè existimasse in illâ creaturâ fuisse fœditatem, sed tantum te variationem conjugii, & vagam optasse libidinem; Vel 2. ne hæc re occasio detur homicidiis, aut lenocinio. Vtramque causam agnovit, Philo Iudæus lib. de specialibus legibus, ubi hujus mandati has subdit causas. Quæ repudiatâ alteri nupsit, redire non potest, quia vinculi oblita pristini, novos amores prætulit veteribus: qui autem receperit, virum exuerit; ut cui sit exemptum viciorum

Tomus II.

odium, ac duplici notâ sit insignis: adulterii, & lenocinii; hæc enim reconciliationes ferè non sunt sine veneficio. Ita si peccatum tuum odisti, & factâ pœnitentiâ illud deservisti, quia iudicasti abominabile; sic enim Ezechiel. cap. 18. motum pœnitentis exprimit: *Considerans enim & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est, vitâ vivet, & non morietur;* non tibi licet postea ad illud redire, *Ne peccare facias terram tuam quam Dominus Deus tuus tibi tradiderit possidendam;* id est ne sis aliis scandalo, quasi gustato & peccato, & justitiâ, peccatum meliùs esse ostendas quam justitiam. Quo crimine quoniam plurimos contaminatos esse intelligo, sinite me ut hodiernâ die sensum meum super eâ re uberiùs exponam: Quòd si quibusdam severior atque durior esse videbor, date hoc dolori meo, ac sensui, non ei dissimili quo Sapiens se æstualle dicit, Eccli. 26. *In duobus contristatum est, cor meum, & in tertio iracundia mihi advenit: vir bellator deficiens per inopiam; & vir sensatus contemptus; & qui transgreditur à justitiâ ad peccatum: Deus paravit eum ad rompheam;* Atque ut ordine ad majorem lucem procedamus.

I. Propositio. Homini recidivo, ac in eadem peccata sæpius relabenti, valdè suspectus esse debet status suus, etiam cum videtur esse optimus, cum nimirum plangit præterita, & agit pœnitentiam. Probat. Quia dubitare meritò potest, an per Sacramenta Confessionis & Communionis gratiam recipiat: quæ non dico, eo consilio, ut conscientias scrupulis implicem, aut novas difficultates moveam, sed quia res explicatu difficilis mihi esse videtur.

1. Ratio est. Quia cum ea Sacramen-  
M m ta,



ta, ubi benè recipiuntur, præter gratiam sanctificantem, quæ est effectus communis omnium Sacramentorum, dent præterea per gratias actuales robur ad non deinceps peccandum: ille tam facilis post confessionem lapsus, satis ostendit non esse datam gratiam ejusmodi firmitatis, quæ tamen certus est effectus bene suscepti Sacramenti.

2. Ratio est. Quia ille tam facilis relapsus in dicio est, habitam tantum esse simplicem displicentiam, non autem efficacem dolorem, & voluntatem veram abstinendi: si enim habita fuisset efficax voluntas, non tam facile iterum recidisset, uti apparet in rebus aliis humanis, in quibus illud sanè fit quod volumus, si absolute volumus. At sine dolore, & voluntate efficaci, nemo recipit veniam peccatorum: & proinde qui per plures annos vixit in prolapsionibus repetitis, merito timere debet, ne in peccato semper fuerit. Quid enim contingit frequentius quam ejusmodi homines unicum tantum diem à quibusdam peccatis abstinere; eo scilicet die quo consentitur; & altero die cadere, præsertim in magna peccata, & magis illecebrosa? Propterea si in morbum incidant, qui tandem timores, quæ animorum anxietates in agonizantibus, dum de præteritis dubitant? Nam ita Ecclesiasticus cap. 5. *De propitiato peccato noti esse sine metu, neque adjicias peccatum, super peccatum*: ut intelligas qui adjicit peccatum super peccatum, non debere esse sine metu de propitiato, quod nimirum malè existimat esse propitiatum, sive condonatum. Etenim si in morbis corporeis post morbi evasationem, aliquem videamus in morbum iteratò recidere, rectè judicamus verè nunquam sanatum esse, nec humorem noxium omnem evacuatam fuisse, unde pronuntiatum Hippocratis Aphorismo 12. li. 2. *Quæ relinquuntur in morbis, recidivas fac-*

re solent, seu quia magis ac magis corrumpuntur, seu quia laudabili alioqui alimento se adjungunt quod inficiunt: Cur non idem asserimus de eò homine, qui in eadem peccata relabitur?

3. Ratio satis affinis est secundæ, & petitur ex S. Greg. Magno in Pastoralis part. 3. admonit. 31. Quia ita plerumque mali inutiliter compunguntur ad justitiam, sicut plerumque boni innoxie tentantur ad culpam. Fit quippe mira exigentibus meritis dispositionis internæ mentura, ut & illi dum de bono aliquid agunt quod tamen non perficiunt; superbiè inter ipsa quæ etiam plenissimè perpetrant mala confidunt: Et isti dum de malo tentantur cui nequaquam consentiunt, quod per debilitatem ac infirmitatem titubant, eò gressus cordis ad justitiam, per patientiam & humilitatem verius figant, &c. Quid est ergo quod ille compungitur, & tamen justitiæ non appropinquat? iste tentatur, & tamen eum culpa non inquinat? nisi hoc quod aperte ostenditur, quod nec malos bona imperfecta adjuvant; nec bonos mala in consummata condemnant. Hæc ille. In quibus verbis videmus aliquam ratione bonos tentari, ut mali per gratiam vocantur ad bonum; & sicut in bonis mala suggestiones inchoant malum, quod ipsi voluntate non perficiunt; de quo dicit Apostolus Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio*: ita in malis gratia inchoat omnes sensus bonos, quos tamen ipsi non perficiunt, sed quia in se illos sentiunt motus, putant suos esse: unde sibi frustra blandiuntur, & in hoc, plurimorum est deceptio: *Sed non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, ille intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, ille intrabit in regnum cælorum*: Advertendum itaque est esse eundem esse sensum in nobis, & voluntatis quæ datur per



per gratiam excitantem, & inefficacis, & efficacis, si fiat comparatio circa bonum propositum, cum tamen neque motus gratiæ, neque voluntas inefficax, hominem faciant justum, seu ut ipsa iustitia, seu ut dispositio ultima ad justificationem, sed sola efficax voluntas, quæ si in aliis rebus semper habet effectum suum, certè etiam in rebus pertinentibus ad iustitiam. Unde ergo securitatem habere possum habitæ illius à me voluntatis si suum non habeat effectum? quis est autem effectus propositi efficacis de non aliqua refacienda aut de ipsa facienda, nisi rei ipsius effectio, aut fuga? Cum itaque ejusmodi voluntas necessaria fuerit ad justificationem, eaque talis sit, ut naturaliter suum habeat effectum; quid aliud relinquitur quàm ut dicamus, eam quæ non habet effectum vere non fuisse efficacem, & consequenter eam quæ sic est habitæ, non fuisse sufficientem, & demùm ejusmodi homini qui tam facilè relabatur, valde suspectum esse debere statum suum etiam cum ei optimus esse videtur.

II. Propositio est. Hujusmodi hominis admodùm difficilem esse & quasi impossibilem, tum emendationem, tum salutem: quæ cum à me dicuntur, ne quisquam hinc errandi, aut desperandi occasionem arripiat.

Nota 1. Non me hinc loqui de peccatis quæ ex infirmitate committuntur, quæ Sanctus Augustinus vocat quotidiana peccata, quæ ratione conditionis humanæ vix possunt vitari propter easdem occasiones, & perseverantem in nobis eandem infirmitatem, ut sunt in oratione distractiones, verba otiosa, motus præcipites, leves impatientiæ, &c. quam unusquisque teneatur ea vitare quantum potest, & eorum saltem numerum imminuere, & minùs voluntariè in ea incidere: de his inquam non loquar, cum ea sint quæ potius videantur nobis elabi, quam ex deliberatione committi; sermo est de peccatis ple-

nè voluntariis, & maximè de lethaliibus; & quidem etiam de venialibus plenè cum advertentiâ voluntatis, respectu emendationis quæ in recidivis fit quasi impossibilis:

Nota 2. Cum dixi in recidivo emendationem ac salutem admodùm esse difficilem, ac penè impossibilem, me non loqui absolute. Etenim uti rectè docet S. Athanas. in quæstionibus ad Antiochum quæst. 93. Deus semper ad se revertentem respicit attentâ mutabilitate naturæ humanæ: Qui enim Petro annuntiavit septuagies septies fratri ignoscendum, multo magis ipse, & vel septies millicies homini ignoverit respicienti. Sed impossibilem eo modo accipio, quo ipse Christus, quando dixit, impossibile esse hominem divitem salvari, hoc est ægerimè id fieri: immò ægrius id dico accidere recidivo, quàm diviti de quo Christus loquebatur: unde statim subdit ibidem S. Athanasius; Hoc tamen scitote, quòd anima quæ in consuetudinem abit peccandi sæpius, & sæpius, respiscendi, contempto Deo ad peccatum reversa, difficulter rectè ejusmodi anima desistat à peccato, sicut canis macellarius ad fremitum assuetus. At, inquires, fieri potest ut qui in peccatum relabatur, per Sacramenta gratiam acceperit? Et certè accepit, si verè accepit, si verè poenitens, & dolens, & cum proposito accessit; licet ob malos habitus, & pravam consuetudinem facilè relabatur, uti passim in multis quotidie fieri videmus: & hoc ipsum est quod vulgò homines putant, & quòd plurimi spem suam alentes sibi blandiuntur. Sed hoc alterum dico, in ejusmodi hominibus salutem ferè esse desperatam, & emendationem quasi impossibilem.

Probatum verbis Apostoli Hebr. 6. Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, &c. gustave unt nihilominus bonum DEI verbum, virtutesque sæculi



venturi, & prolapsi sunt; rursus renovari ad penitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, & ostentui habentes: Scio plerumque ex SS. PP. hunc locum interpretari de baptismo: Non repugno; At dico non dicere Apostolum semel baptizatos non posse rebaptizari: sed non posse renovari per penitentiam; hoc est recuperare per penitentiam primam illam revocationem acceptam per baptismum, quæ hominem eximat & ab omni culpa, & a pœna. Posset tamen tanta esse penitentia ut id faceret, sed ob summam difficultatem, id esse impossibile asserit Apostolus; præterquam quod rarissimè id fieri hinc facile colligere possumus, quod ejusmodi homines cum per summam ingratitude peccarint, tot donis quæ hinc enumerantur abusi, non illis hoc concedere soleat Deus, Jam à paritate rationis: Qui tam facile ab accepta gratia recedunt, non facile eos Deus in pristinam gratiam reducit: quod & ostendit idem Apostolus in eadem Epist. cap. 10. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quadam expectatio judicij, & ignis amulatio qua consumptura est adversarios. Irritum quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, &c.* In his quippe verbis continetur doctrina quam attulimus, per difficilem esse ac penè impossibilem salutem relapsorum: nam licet absolute non sit impossibilis, & propterea multi hunc locum explicent de secundo baptismo; ut tamen ita vocetur sufficit, quod rarissimè contingat, ut Deus ijs qui in gravia peccata relabuntur, veram penitentiam largiatur: quod probat Apostolus ex figura condonationis peccatorum in lege: Licet enim in lege veteri pro quibusdã peccatis instituta esset expiatio per quoddam sacrificium, tamen pro peccato per

superbiam & contumaciam commisso, nulla præscribatur hostia: sed ut loquitur Apostolus, *Sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur*: uti fuse declaratur Numer. 15. *Tam indigenis, quem advenis, una lex erit omnium, qui peccaverint ignorantes. Anima vero qua per superbiam aliquid commiserit, sive civis sit ille, sive peregrinus, (quoniam adversus Dominum rebellis fuit) peribit de populo suo: verbum enim Domini contempsit, & præceptum illius fecit irritum, idcirco deletur & portabit iniquitatem suam*: Et ita significatur quod intendimus ejusmodi peccatorum apud nos raram esse penitentiam ac difficilem veniam. Itaque sicut in Angelis ubi peccaverunt, non fuit expectatio ad penitentiam, sed irrogatio pœnæ, non quod non potuerit Deus dare locum penitentiae sed quod noluerit: & ita statim corripit peccantes: Idem ferè contingere ait Paulus voluntariè peccantibus post agnitam veritatem, *quibus jam non relinquitur hostia pro peccatis*, id est veniæ spes, ac remedium, per allusionem ad legem veterem: *sed terribilis quadam expectatio judicij, & ignis amulatio* (id est ignis vindicans ac zelans honorem Dei) *qua consumptura est adversarios.* In quo peccator sanè decipitur graviter: nam cum primò peccasset, atque ei venia data esset; ex impunitate concessa, sperat postea se deinceps impunè peccaturum: sed fallitur: quia dum quisque peccare incipit, quid peccatum sit, ferè ignorat: discit verò peccando; quid enim peccatum sit, experitur: ac deinde etiam magis agnoscit, dum in gratiam redeundum est: postea verò dum relabatur, id magis voluntariè, atque scienter facit. Itaque voluntariè peccanti, *jam non relinquitur pro peccatis hostia*, sicut in veteri lege nulla erat pro majoribus delictis, sed pœnæ erant luendæ: hoc est, nullum superest remedium: non quod de sit potentia, sed quod ita accedere soleat. Proinde hæc doctrina nõ favet



Novatianis; quas lapsis, aut etiam relapsis neganda sit pœnitentia; id enim falsum est: sed tantum dicit Apostolus quid fiat, & quid soleat. Etenim licet aliqui tales convertantur; & absolutè loquendo omnes possint; tamen, ut iterùm & iterùm idem reperamus id rarò contingit, ut Deus salutarem pœnitentiam inspiraret efficaciter ijs, qui in gravia relabuntur peccata; unde oritur quædam moralis impossibilitas, quæ duo significat, & id agrè fieri, & valdè rarò; de quâ impossibilitate Apostolum intelligo, non autem de absolutâ, quod erat dogma Novatianum.

Oritur autem hæc moralis impossibilitas seu maxima difficultas. I. Ex parte DEI qui licet veniam ut oportet deposcenti nunquam deneget, non semper tamen efficaciter vocat in infinitum, sed ejusmodi gratiis terminum ponit. Audi quid dicat Amos 1. *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor*, id est, ex phrasi Scripturæ super quarto scelere, *non convertam eum*, & multa, alia similia in eodem capite: quæ ita exponit Hieron. Ego hæcenus tuli peccata, & crudelitatem Damascenorum, iterùm, & tertio: sed quia quartum peccatum addiderunt, non convertam illos, itaq; extremo afficiam supplicio. Vnde & ex alijs pluribus locis, inferunt Theologi, Deum certam parcendi mensuram destinasse respectu singulorum, quâ impletâ, nulla sit amplius expectanda conversio, ob negationem gratiæ efficacis, licet dentur gratiæ sufficientes, cum quibus, etsi quis possit operari, nemo tamen operatur: Et ita ex Augustino Pharaon induratus est, post primum relapsum, neque enim omnibus eandem mensuram posuit Deus. Tu verò qui tam facilè relaberis, quid seis an mensuram vel sit explèta, an verò illi explèdè multùm aut parùm super sit? Dicitur Io. 3. *Spiritus ubi vult spirat, & nescis unde veniat, aut quò vadat*, quem locum sic exponit Alfredus. *Nescis unde veniat, cū nescias utrū a-*

more, an odio, dignus sis; & utrū misericordiã præroget, an mercedem restituat, an exerceat iudicium, scire non possis; aut quò vadat: utrū videlicet è vicino subsistat, postmodùm reversurus; an longius eat, post multum temporis rediturus; an offensus recedat, nunquam denuò reversurus. Eòdem pertinet quod Christus nullum à mortuis bis excitavit; Lazaro quidem post primam mortem, jam ferè putrefacto vitam restituit; sed Nazian. orat. in S. Baptisma, suscitatum Lazarum sapienter monet: Cave ne rursus emoriatis, sinibusque peccatorum constringaris, incertum est enim an rursus ad vitam excitandus sis. Facit in hanc rem aptissimè exemplum Samsonis Judic. 16. qui cū ligatus variis modis, Dalilæ dolo, sese ad Philistinorum appellationem excussisset, tandem cū ei crines essent abradi, ac putaret, ut aliàs fecerat, se omnia vincula dilrupturum, sensit se sine viribus esse, atque à Domino derelictum: *Qui de somno consurgens, dixit in animo suo: Egrediar, sicut ante feci, & me excutiam, nesciens quò recessisset ab eo Dominus*: vide duo: nesciebat Dominum à se recessisse: deinde id nesciens, agebat intra se, *egrediar sicut ante feci*. Ambros. epist. 70. Ex somno experrectus, faciam (inquit) sicut soleo, & excutiam me super adversarios: sed neque animi sui alacritatem, nec virtutem agnovit, nec vigor erat, nec gratia manebat.

Atque ut intelligas relapsum in singula peccata mortalia non abesse à periculo, idcirco Deus de varijs populis meminit in Prophetâ Amos, ut videre est c. 1. & 2. de Damascenis, de Gazæis, de Idumæis, de Ammonitis, de Moabitibus, & demum de ipsis Iudæis & Israëlitibus: quæ si ego in singula quæ ibi reprehenduntur peccata retulero, nemo est qui multum timere non debeat.

II. Oritur hæc maxima difficultas ex parte hominis in peccatum relabentis. I. quidem quod ejusmodi hominem Christus iudicet



parum idoneum regno Dei. Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei*: quod S. Greg. ita explicat homil. 3. in Ezech. Hic retrò post aratrum respicit, qui post exordium boni operis, ad mala revertitur, quæ reliquit. Hoc autem Christus expressit mirabili exemp'o Lucae 17. *Memores estote uxoris Loth*, quæ scilicet retrò conversa, mutata est in statuam salis, opinor ut fatuos saliret.

2. Propter implicatum difficultatibus animi ob pravam consuetudinem, quæ ferè transit in necessitatem; nam consuetudinem egregiè Chrysostomus appellavit vim tyrannicam; Augustinus catenam ferream. Atque hinc ferè oritur desperatio; cum enim peccator videt se relapsum, & obfirmari consuetudinem, diffidit posse resurgere; & ita, quod sibi difficile experitur, putat impossibile. Ut enim inter mortales, si quis alium offendit post reconciliationem, quia de veniâ desperat, pergat esse inimicus: sic ubi peccatum est post condonationem, desperatur de veniâ; & ex desperatione oritur projecta illa ad peccandum audacia: juxta illud Ephes. 4. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitia omnis, in avaritiam*: Id est, sine satietate, per inexplebilem voluptatum cupiditatem. Quam verò sæpè id inter homines accidat, vos ego testor, Auditores, ac vestras convenio conscientias. Si quis jurare assueverit, si detrahere: si inebriari, si fornicari, quis speret se posse linguam cohibere, se continere, abstinere, temperantiam, & castitatem servare?

3. Quia ferè est absque remediis: Non hinc loquor de satisfactione, seu de pœnis quæ infliguntur relapsis: licet satis intelligam duram, ac difficilem pœnitentiæ actionem à relapsis exigi à severitate Christianæ disciplinæ, usque eò ut apud antiquos publica pœnitentia semel tantum concederetur, ut intera-

lios docet Tertull. lib. de Pœnit. cap. 7. & Augustinus Epistola 54. qui hanc rationem affert, ne medicina vilis, minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit. Sed loquor de remediis peccati per quæ in gratiam DEI venit; ex quorum parte dico, fieri relapsis veniam maximè difficilem. 1. Quia relabentes illis abutuntur: unde Gregor. 3. Pastor admon. 31. ait eos qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, flendo se inaniter mundare, cum idcirco se lacrymis lavent, ut mundi ad sordes redeant; & hinc scriptum sit, *Canis reversus ad suum vomitum, & sus lotus in volutabro luti*, quia dum fletibus luis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos, sordidas etiam ipsas lacrymas facit. 2. Quia faciunt inutilia remedia: unde scriptum Eccli. 7. ex S. Gregorii explicatione: *Ne iteres verbum in oratione tuâ*: verbum namque in oratione iterare, est post fletum committere, quod rursùm necesse sit flere: hinc per Isaiam c. 1. dicitur *Lavamini mundi estote*, Lavantur enim & nequaquam mundi sunt, qui commissa flere non desinunt, sed rursùm flenda committunt; hinc per Sapientem dicitur Eccli. 34. *Quid prodest si quis baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum? quid proficit lavatio ejus?* Baptizatur quippe à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato, sed post baptismum mortuum tangit, qui culpam post lacrymas repetit. Eò dem pertinent verba Eccli. ibid. *Unus edificans, & unus destruens: quid prodest illi, nisi labor?* uti intellexit Petrus Blesensis, qui addit, vulnus iteratum sanari tardius.

3. Quia cum inutilem faciunt orationem suam, sibi aditum obstruunt misericordiz; quod ex eo textu Ecclesiastici patet, & præsertim ex sequentibus verbis: *Sic homo qui jejunit in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? oratione illius quis exaudiet?*

4. Quia cum nihil profecerint ex remediis,



diis, jam nihil superest unde iuari possint; quare eorum salus est desperatissima: siquidem vel agrè tantum, vel moraliter loquendo nullo modo, revocari possunt ad pœnitentiam, ut jam ex Apostolo dictum est. Si enim donum cœlestē quod gustaverunt, Dei verbum, virtutes sæculi venturi, illos, retinere non potuerunt, quid jam illis objici, quid offerri potest? Etenim fac aliquid, post carnis lapsum, resipuisse; de cogitationibus congruas; fac cœlitus illuminatum, ut statum suum agnosceret; turpitudinem peccati, fœdatam mentem, & corpus; injuriam illatam DEO, propudium, ac dedecus; cum facile ei fuisset vincere, si voluisset, primas tantum flammam extinguendo; fac gustasse donum cœlestē, id est, vel Eucharistiam, vel delicias spirituales, vel affectus: Item inhabitante in sensisse Spiritum sanctum, qui carnis aversiones dederit, & sensus omnes reddiderit spirituales, docendo ex rebus omnibus atrolli in amorem non creaturatum, sed Creatoris, ad hæc gustasse bonum Dei Verbum, hoc est intellexisse, idque cum pietatis sensu, immò etiam expertam quæ dicuntur in Scripturis; vel bonorum rerum promissiones; (Nam Zach. I. verba bona, verba consolatoria sunt) hoc est percepisse doctrinam, bona cœlestia promittentem, idque cum gaudio, & suavitate; *virtutesque sæculi venturi*, hoc est cogitasse, ac cognovisse æternitatem, & magnitudinem suppliciorum ad hæc immortalitatem, & gloriam electis promissam in regno Christi, cum perfecta adversariorum subjectione: His positis si jam relabatur, ac in flagitium turpiter recidat, quod significatur his verbis (*& prolapsi sunt*) quænam majora proponi possunt, quæ remedia efficaciora, quæ lumina ardentiora, quæ cogitationes potentiores, quod corpus sanctius, quæ Christi? Num spiritum castiorem, num Verbum divinius, num majorem æternitatem, aut

longiorem, num graviora supplicia, num meliorem gloriam alicunde recuperare potest? *Impossibile, ita que, est eos qui semel sunt illuminati, &c.* Id verò quotidie experientia comprobatur, cum rebus divinis assueti, tot luminibus, tot motibus, tot exemplis, tot veritatibus, tot sacramentis; si ea omnia semel neglexerimus, planè in omnia remedia obdurati, immedicabiles relinquimur, secundum illud Ierem. 30. *Quia hæc dicit Dominus: Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. Non est qui judicet judicium tuum ad alligandum; curationum utilitas non est tibi, &c. Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua, feci hæc tibi, &c.*

5. Ac denique. Quia acrius ejusmodi homines percelluntur à Dæmone: Cum enim iste per priorem pœnitentiam expulsus, nihil non agit in prius domicilium redeat, quod cum factum est, obstinatissimè remanet: siquidem ut nuper diximus ex Tertullian. de Pœnit. cap. 7. pervicacissimus ille hostis, nunquam malitiæ suæ otium facit: atquin tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum: tunc plurimum accenditur dum extinguitur: doleat, & ingemiscat, necesse est, veniam peccatorum permissâ, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retrò suæ erasos: dolet, quod ipsum, & Angelos ejus, Christi servus ille peccator judicaturus est, &c. Non scandalis, non tentationibus deficiat: Itaque ubi advertit quâ parte potuit expelli, illam magis custodit: verbi gratia, si per Conciones, aut lectionem, &c. resipuit: ab eis te avertit, &c.

III. Oritur hæc maxima difficultas ex parte peccati recidivæ: quod tria continet quæ peculiarem habent cum reconciliatione oppositionem, etiam inter ipsos homines.



1. Quidem habet ingentem ingrati-  
tatem, quæ, ut ait Bernardus exsiccat fontem  
gratiæ: hinc enim gravius existit secundum  
peccatum, quàm primum: quantum nempe  
est in gratiam fuisse receptum, & participem  
fuisse bonorum Dei? Idcirco ea bona enume-  
rat Apostolus, ut ostendat, post ea recepta ad-  
missum crimen, veniam non mereri: *Impossibile est, &c.* Atque ut cætera taceam, quantum il-  
lud est, post primum peccatum, admissum esse  
in gratiam? Tertull. lib. de Pœnitentia, c. 7. ma-  
jus est restituere quàm dare, quoniam mise-  
rius est perdidisse, quàm omnia non accepisse.  
Rem ita exponit Chrysoft. Homil. 9. in Epist.  
Hebr. Is qui sedebat in tenebris, qui inimicus,  
qui hostis, qui ab alienatus, qui invisus, qui  
perditus, is repente illuminatus, & Spiritu di-  
gnatus, dono cœlesti, adoptione in filium, re-  
gno æterno, aliis bonis, arcanis mysteriis, &  
nec sic quidem melior effectus, sed cū sit qui-  
dem dignus qui pereat, salutem tamen asse-  
cutus & honorem tanquàm qui præclare se  
ex virtute gessisset: quomodò rursus admitte-  
tur? &c. Hinc fit etiam ut præterita peccata,  
jamque condonata redeant, non eadem qui-  
dem numero; quoniam *sine pœnitentiâ sunt dona Dei*, sed eadem specie, & similia, quando-  
quidem Deus permittit, ut peccator in eadem  
relabatur propter ingrati-tudinem acceptæ  
veniæ: Ad hæc, quia virtute quasi destruitur  
prior pœnitentia, quæ priora peccata dele-  
verat: ut enim ait Paulus ad Galat. 2. *Si quæ de-  
struxi, iterum hæc ædifico, pravari-  
catorem me constituo*: id est, ostendo: ut enim per pœni-  
tentiam revoco præterita, sic per relapsum re-  
voco pœnitentiam: quod Tertull. lib. de Pœ-  
nitentiâ, c. 5. appellat pœnitentiam pœnitentia:  
Porro ingrati-tudinem, potissimum veniæ,  
peculiarem habere cum reconciliatone op-  
positionem, communis hominum sensus tes-  
tatur. Verum ne misericordiam Dei quam  
David in Pl. 50. Magnam appellat, videar com-

parare cum nostrâ, ipse Apostolus tanta enu-  
merat beneficia, ut ostendat sequentem in-  
grati-tudinem præcludere omnem aditum  
misericordiæ.

2. Relapsus in peccatum, continet insignem  
perfidiam, quia per eum frangitur data Deo  
fides: Cum enim peccator post primum lap-  
sum, in Dei amicitiam recipitur, quantis ulus  
est lacrymis, quot preces adhibuit, quot pro-  
testationes, quantam fidem pollicitus est,  
quantam constantiam? si igitur relapsus fue-  
rit, quomodo redeunti credetur? Dic enim  
(inquit Chrysoft. homil. 9. in Epist. ad Hebr.)  
Si in Regiam esses introductus, & quæ sunt il-  
lic omnia tibi essent credita, deinde prodidis-  
ses omnia, eâ ne rursus tibi crederentur? Ad-  
do ego ad Chrysoftomum: Si tamen multis la-  
crymis, multisque sponsonibus perfecisses,  
ut admittereris; an si secundo prodidisses,  
unquam recipereris, aut tuis lacrymis, ac iura-  
mentis quisquam crederet? Eòque trahi po-  
test, quod dicitur Joan. 2. *Ipsæ autem Iesus non  
credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset om-  
nes, & quia opus ei non erat, ut quis testimonium  
perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset  
in homine.* Porro illud omnes interpretantur  
levitatem, atque inconstantiam: non igitur se  
iterum credit perfidis: uti enim de impio dixit  
David Psal. 77. *Non est creditus cum Deo spiritus  
eius*; ita vicissim neque Deus se credit peccato-  
ri; nam spiritus peccatoris dicitur non credi-  
tus cum Deo, quoniam non firmiter adhe-  
ret Deo; ita neque Deus peccatori se credit,  
quia novit quid sit in homine.

3. Idem relapsus continet contemptum,  
eumque duplicem, & personæ quæ tam facile  
offenditur, & veniæ acceptæ. Itaque ex eâ par-  
te negat Apostolus possibilem esse reconcilia-  
tionem: & rationem reddit in sequentibus,  
*Rursum crucifigentes in semetipsis Filium Dei, &  
offensivi habentes: & ubi negavit ullam superes-  
se hostiam ejusmodi peccatoribus,* subdit;

Quanto



Quantè magis deteriora putatis mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinè testamenti pollutum duxerit, & spiritui gratia contumeliam fecerit? quibus verbis exprimitur, summus Dei contemptus in peccatore relabente: quis enim major est quàm Deum pedibus conculcari? conteritur autem & contemnitur, quia qui redemptus est Christi sanguine, iterùm se redigit in seruitutem: Vide autem illum in multis capitibus contemptura.

1. Quidem quoniam ipsa Dei bonitate abutitur ad peccandum. Tu certè ex Divina bonitate melior esse debueras: quid enim bonus, nisi bonitate docet? Tu verò malitiã ex bonitate addiscis: quod dehortatur Tertull. lib. de Pœn. cap. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur: ceterùm finem utique evadendi habebit, cum ostendendi non habebit, Evafimus semel, hætenus periculis nosmetipsos inferemus, etsi iterùm evasuri videmur.

2. Quia parùm æstimat veniam, ac salutè, quam tam facilè perdit. Idem Tertullianus ibid. Plerique naufragio liberati, exinde repudium & navi, & mari dicunt, & Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoriã periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam: nolunt iterùm Divinæ misericordiæ oneri esse; formidabãt videri inculcare, quod cõsecuti sũt: bonã certè sollicitudine iterùm experiri vitant, quod semel didicerunt timere: &c. Hæc ille. Et verò ô peccator si præteritorum peccatorum grave periculum, si pœnitentiæ difficultatem, si veniæ magnitudinè prout decet, æstimares, non te iterùm in eandem necessitatem, & in idem periculum dares, ac conjiceres.

3. Quoniam quædam est Dei irrisio, atq; illusio, veniam ab eo de peccato petere, ac statim post, idem admittere, quod antea lugebas. Itaque S. Gregor. in 3. p. Pastoralis ad-

monitione 31. Recidivi similes sunt ante Deum ijs qui venientes ad faciem quorundã hominum, magnã eis submissione blandiuntur, recedentes autem inimicitias ac damna, quæ valent, atrociter inferunt.

4. Quia nulla jam alia causa fingi potest relapsus, quàm contemptus, neque enim post peccati, pœnitentiæ, atque veniæ, experimentum, excusatio sumi potest ab ignorantia, Id præclare advertit Tertullianus lib. de pœnitent. cap. 5. Jam quidem nullum ignorantia prætextũ tibi patrocinator, quoddã Domino agnito, præceptisque ejus admissis, denique pœnitentiã delictorum functus, rursus te in delicta restituis: ita quantum ignorantia segregaris, in tantum contumaciæ adglutinaris: Nam si idcirco te peccasse pœnituerat, quia Dominum cœperas timere; cur quod merus gratiã gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desisti? Neque enim timorem alia res, quàm contumacia subvertit. Cum etiam ignorantes Dominum, nulla exceptio tueatur à pœna (quia Deum in aperto constitutum & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet) quantum cognitum despici, periculosum est? Despicit porrò, qui honorum ac malorum intellectum ab ipso consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fudit, resumens, intellectui suo, id est Dei dono contumeliam facit: respuit datorem, cum datum deserit; negat beneficium, cum beneficium non honorat. Hæc ille.

5. Quia alternante inter Deum, & Diabolum victoriã, qui relabitur palmã Dæmoni donat, & factã utriusque comparatione, prælegit Dæmoni potius, quàm Deo servite, ac si id melius esse experientiã didicisset. Vtrumque tetigit idem Tertullianus & ibidem: Ceterum, inquit, non leviter in Dominum peccat, qui cum æmulo ejus Diabolo pœnitentiã renuatiasset, & hoc nomine



illum Domino subiecisset, rursus eundem regressu suo erigit, & exultationem ejus, seipsum facit; ut denuò Malus, recuperatâ præda sua, adversus Dominum gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit; & judicatio pronuntiasse eum meliorem cujus se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciet; eritque tantò magis perosus Deo, quanto æmulus ejus acceptus. Ita ille, Ex quibus omnibus patet, quàm verè dixerim hominis recidivi emendationem, & salutem non modò esse perdifficilem sed ferè impossibilem. Verùm quid rationibus & variis probationibus illud magis urgeo, cum nostra nos in dies experientia convincat? Quos tibi notos vidisti, ad relabundum faciles, ad veram pœnitentiam esse reductos? Eadem sunt peccata, iidem mores, eadem vita, & cum mors advenit, eos in iisdem peccatis occupat. Sed de illis confitentur? Ita sanè. At id non sufficit: requiritur enim verus dolor & verum propositum, quod in huiusmodi hominibus esse denego uti à me initio probatum est.

Quid inde, inquires, concludis? Ego verò plurima.

1. Ut scias maximam hominum partem damnari, contra comunem hominum sensum, qui sibi de Sacramentis blandiuntur; licet Christus monuerit, non eos omnes qui dicunt *Domine, Domine, intrare in Regnum caelorum*: licet Apostolus monuerit multos iudicium suum; id est, condemnationem suam manducare & bibere.

2. Ut tu non inde securus existas, sed aliorum exemplo sapias; te ferid examines, unde contingat ut tam sæpe relabaris in eadem;

an verus sit dolor tuus de peccatis, an verum propositum. Quid enim est quod in aliis omnibus rebus, quando aliquid absolutè vis, id semper efficit, neque ulla te difficultas terret, neque ulla occasio impedit; & quòd in hoc solo proposito non peccandi, tua voluntas non est efficax? Tu tamen non ignoras ad valorem Sacramenti non sufficere voluntatem inefficacem: Quàm vereor ut te hæcenus latuerit quæ sit illa voluntas efficax; illa nimirum quæ effectum habet; illa quæ nullâ conditione restringitur, sed quæ absoluta est, licet res sit difficilis & ardua, licet oppositiones habeat, & impedimenta; nam cum Deum respiciat, illimitata est; illa quæ non hæret in simplici displicentiâ quasi in objecto tantum specularivè cognito, sed quæ ratione efficacitæ respicit ipsam affectionè & praxim.

2. Ut omni ope contendas evitare relapsum, quando quidem ut ex præcedentibus didicisti, admodum difficilis est reditus ex multis capitibus, sed maxime ex parte Dei, qui ejusmodi hominibus solet gratias efficaces denegare. Vide itaque ne exemplum sumas à primâ condonatione; altera enim longe est difficilior: nec te decipiat idem sensus & eadem opinio quæ Samlonem decepit, cum diceret in trâ se, *excutiam me, sicut prius, nesciens quod recessisset ab eo Dominus*; sed ex Ambrosio, nec vigor erat, nec gratia manebat.

4. Ut si te malus casus eò deduxit, intelligas tibi ad gratiam reditum esse difficiliorum, & consequenter majori conamine tibi esse redeundum: non parcendum lacrymis, jeuniis, orationibus, elemosynis. Neque putes adhuc hæc sufficere, nam in primo reditu fuere necessaria; sed quantum status tuus permittit, multa esse in tua vita, & in tuis negotiis, & occupationibus mutanda, & tibi quædam facienda quæ veram tuam reconciliationem, Deo, immò & ti-



& tibi, persuadeant. Hic mentis rigidum ac severum vocabis: Sed quorsum? Quia te securum reddere volo de tuâ salute? quia tecum non dissimulo pessimum statum tuum? quia te perditum esse nolo? quia non aliam scio tuâ salvationis viam? Sed si ita se res habet dices, quàm paucorum salus est certa? Equidem longè pauciorum quàm putetur, & quam dicatur. Verùm si ita est, multò facilius est desperare quàm ita se torquere. Hoc ipsum est, mi auditor, quod prius dixi, ex hoc frequenti relapsu oriri desperationem; qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitia in operationem immunditia omnis in avaritiam: & ex fructu collige arborem: & causam ab effectu. Verùm hic sensus est hominis fracti & abjecti, qui ut loquitur Scriptura, *fœdus inicit cum morte, & inferno*. At generosus Christianus hinc occasionem accipit non despondendi animum, sed se se erigendi, & magna etiam, & supra suas vires aggrediendi. *Quis scit si convertatur Dominus, & relinquat post se benedictionem*. Sed difficilis est reditus? At non impossibilis. Impossibilem dixisti? Sed quod est impossibile hominibus, possibile est Deo. Sed Deus deserit & gratiam denegat? sed non tollit orationem. Pete, quære, pulsa, age, lachrymis, & Deo etiam nolenti vim facito. Hæc vis, Deo grata est: *Magna est fides tua: fiat tibi sicut vis*. Amen.



DOMINICA TERTIA  
IN QUADRAGESIMA.  
CONCIO SEXTA.

Quæ est secunda de relapsu in peccatum.

*Et sunt novissima hominis illius pejora prioribus. Lucæ II.*

**E**A est natura rerum infinitarum in quocunque genere sint, ut nunquam exhaustiri possint. Deus quia infinitus est secundum essentiam, pelagus exhaustum essentia vocatur à Nazianzeno, quod animo, & cogitatione comprehendi non potest. *Æterna beatitudo, in suo genere S. Thomæ est infinita, acquiri quidem potest. Multitudo infinita nullo numero exhaustiri potest, itaque omnem numerum includit, & nullum habet ultimum, quoniam quocunque major est. Quantitas infinita si*